



P. A. 6. N. 12. 27

P. 23. num. 32.

LEX RHODIA

DE

JACTU,

Sub Præsidio 1679, 15

VIRI

Magnifici & Excellentissimi

DN. NICOLAI CHRISTOPHORI
LYNCKERI,

Jcti & Antecessoris celeberrimi, Serenissimo-
rum Ducum Saxoniae Consilarii splendidissimi, Facultatis
Juridicae Senioris, ut & Curiae Provincialis ac Sca-
binatus Assessoris gravissimi,

Domini Patroni, Praeceptoris ac Hospitis sui

atatem de venerandi,

exposita

& publico Examini subiecta

A

JOHANNE DIETERICO KETTLER,

NORDA-OSTERISIO

Auctore & Respondente.

Ad diem 19. Julii. Anno M. DC. LXXIX.



JENÆ,

Exprimebat Samuel Adolph. Müllerus.

4

P. 229

17



V I R O
PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO,
CONSULTISSIMOQVE
DOMINO
JOHANNI VOLRA-
DO KETTLER,

J. U. DOCTORI
SERENISSIMI PRINCIPIS
FRISIÆ ORIENTALIS
IN DIOECESI BERUMANA
PRÆFECTO MERITISSIMO
PATRUO SUO, PARENTIS LOCO
PLURIMUM VENERANDO,

HANC DISPUTATIONEM
TESTEM FILIALIS OBSERVANTIÆ
ET AFFECTUS

OFFERT


AUCTOR.





DISPUTATIONIS
DE L. RHODIA
DE JACTU
CAPUT I.
DE
NOMINE LEGIS RHODIÆ
DE JACTU.

I.

 Xpositioni legis Rhodiæ operam daturus, prius exponere oportebit, unde nomen Legis Rhodiæ de jactu descendat, *arg. l. i. ff. de J. & J.*

II.

Et LEX quidem, generali legis appellatione dicitur, quâ omne juris constituti seu recepti præceptum, obligandi vim consensu societatis habens, *Lex* vocari meretur. Nec enim speciale Legis significatum, quod statum formamque magis Rei Romanæ, quàm gentis Rhodiorum, referebat *J. 4. J. de J. N. G. & C.* huic de Jactu legi tribuam, ne huc non spectantem Statum Rhodiorum publicum, non satis omni parte indubium movere magis, quàm ipsam disputationi propositam materiam tractare videar.

III.

RHODIA certè aut à *Rhodo Insula* dicitur *c. ult. dist. 2.* quàm Cycladibus, quibus Ægæum mare celebratur, Plinius annumerat, quæque Soli, amoribus puellæ Rhodiæ capto, sacrata, post varia nomina, hoc inde *Insula datum* retinuit, ut Rhodus diceretur, teste *Diodor. l. 6.* Aut à *Rhodo civitate* ejusdem Insulæ primariâ. Hanc & Insulæ opportunitate, & operum nobilitate, & navigandi solertiâ,

❁ (2) ❁

navalibusque victoriis celebratam fuisse. *Gellius* testis est *l. 7. cap. 3. noct. attic.* ut nulla legum præstantiâ æqualis putaretur. *Strabo* eam navalis rei peritiâ adeò valuisse docet *l. 12. c. 14.* ut annis multis maris imperio potita fuerit, & piratarum latrocinia sustulerit. Cum itaque mercatorum, mari se exercentium, in eâ Insula numerus esset frequentissimus, & de re navali indies lites & jurgia exorirentur, Rhodiæ sunt latæ leges, quibus altercationibus de rebus nauticis exortis, & præcipuè si exonerandæ naves essent, provideretur. *d. c. f. dist. 2.* Inter quas hæc nostra *de Jactu* tanti fuit, ut per universum maris mediterranei tractum pro jure Gentium fuerit culta. *Strab. l. 14. c. 13. de Jur. marit.* Romani quoque, secundum hanc legem controversias suas de jactis, dirimi voluerunt, ut ex rescripto Imperatoris Antonini, quod à *Volusio Mæciano* in *l. 9. ff. de I. Rhod.* refertur, & ex toto illo titulo, satis est clarum.

IV.

Dicitur DE JACTU à *Jaciendo*, quia est de his rebus, quæ in tempestate, navis levandæ causa, in mare ejiciuntur *l. 1. ff. d. L. Rhod. l. 21. §. 2. de Acq. poss. l. pen. ff. pro derel. l. 9. §. f. ff. de A. R. D.* Extra hunc casum vox *Jactus* variè in jure usurpatur, ut cum *jactum* vetis emere dicimur. *l. 12. ff. de act. emt.* Sic & *Jactus aleæ, reli, lapilli* dicitur. Vox autem *Jactura*, quæ *jactus* synonyma est, etiam damnum frequenter in jure nostro significat, ut in *l. 17. §. 4. in f. ff. de Instit. Act. c. 48. de R. J. in 6. sed satis de Nomine,*

CAPUT II.

DE

DEFINITIONE LEGIS RHODIÆ ET CAUSA IMPULSIVA.

V.



Excusso nomine, rem ipsam aggredior, definitionem Legis Rhodiæ ponens: Lex Rhodia de Jactu est jus Rhodiensium civile *cap. ult. dist. 2.*

Pre

✿ (1) ✿

Pro rebus, quæ tempestate ortâ, necessariô. l. 2. pr. §. 2. d. L. Rhod. navis levandæ gratiâ ejiciuntur l. 1. ff. eod. contributionem omnibus, qui res suas salvas ex isto jactu retinuerunt, imponens d. l. 1. ut detrimentum proportionem communicetur, l. 2. pr. eod. i. e. damnum jacturæ, secundum rerum, quas quisque habuit, æstimationem & ejus proportionem, omnium commune fiat.

VI.

Dicitur Jus Rhodiensium civile. *Causa enim efficiens* sive constituens hujus juris, fuere Rhodienses, qui ad conservandam maritimam negotiationem, naturalem sequentes æquitatem, hanc legem suis primùm præscripsere. Deinde ob summam utilitatem, pariter atque æquitatem, ab omnibus navigantibus pro maris Lege observari, Lexque Rhodiorum nautica appellari cœpit. l. pen. ff. d. L. Rhod. Wesenb. h. t. n. 1.

VII.

Causa impulsiva hujus legis remota est æquitas naturalis. Vix enim magis quidquam naturalis æquitas suadet, quàm ut ei, qui res suas ob conservationem nostrarum rerum, amiserunt, ex nostris rebus iterum succurramus, & commune periculum communi damno avertamus. Hinc æquissimum est, inquit Paulus in l. 2. pr. in f. ff. d. t. commune detrimentum fieri eorum, qui propter amissas aliorum res, consequuntur sunt, ut merces suas salvas haberent. Proxima fuere Lites, quas, usus navalium commerciorum frequentior, peperit frequentiores, publicè componendæ.

A 3

CA:

❁ (4) ❁
CAPUT III.

DE
OBJECTO MATERIALI LEGIS
RHODIÆ ET EJUS REQUISITIS.

VIII.

Dicitur: Pro rebus quæ ejiciuntur. His verbis
Objectum L. Rhodiæ materiale notatur, quippe totum
hocce illud est, circa quod Lex de Jactu versatur, & un-
de nomen de Jactu i.e. de his quæ ejiciuntur, accepit.

Pro servis ergo, qui in mari perierunt, nulla facienda erit contribu-
tio *l. 2. §. 5. ff. h.* Cum hi non propter merces aut commune periculum
ejiciantur; Adeòque horum non magis æstimatio facienda, quàm si
qui ægri in nave decesserint, aut aliqui se præcipitaverint. *d. l. 2. §. 5. h.*

IX.

Rebus ejectis comparantur etiam damna, quæ navis propter
jactum & pro omnibus passa fuit, utputa si arbor sit cæsa, ut navis
cum mercibus liberari possit. Hoc enim casu contributionis æquitas
habebit locum *l. 5. §. 1. h. t.* Ast si aliàs damnum ex tempestate aut
ictu fulminis passa fuerit, contributio cessabit. *l. 6. h. t.* Quia hæc
damna nec propter jactum, nec pro salute omnium facta, sed extra
causam jactus accesserunt. Nec amissa navis rebus ejectis annume-
rari potest. *l. 5. pr. h.* cum pro salute omnium aut conservatione mer-
cium amissa dici non possit, nec, nisi navi salvâ, Rhodia æquitas
locum habeat.

X.

Dicitur: Tempestate ortâ, levandæ navis gra-
tia necessariò ejiciuntur. Non enim omnia quæ ejiciun-
tur objectum sunt Legis Rhodiæ, & compensationem merentur, sed
ad hoc tria requiruntur. I. Ut res ejectæ sint *l. 1. ff. h. t.*
Non ergo ad hanc legem pertinent res, non ejectæ, sed deteriores fal-
tem factæ: utputa, discursatione nautarum & in periculo versantium
ruptæ,

ruptæ, aut conspersæ, nisi propter jactum aliarum rerum deteriores factæ fuerint *l. 4. inf.* Istæ enim jactis quoad damnum passum comparantur, quemadmodum & arbor ideo cæsa, ut navis cum mercibus liberari posset. *l. 5. §. 1. h. t.*

XI.

Requiritur II. Ut navis levandæ gratia sint ejectæ. *d. l. 1. ff. d. t.* hoc est communis avertendi periculi causa, ut docet Papinianus *in l. 3. ff. h. t.* Verba autem illa Levandæ navis causa cum effectu sunt intelligenda. Si nempe etiam revera & in effectu navis levata & salva sit. *l. 4. in pr. §. 1. h.* cæterisque jactus remedio in communi periculo, salvâ navi, consultum est. *l. 5. pr. ff. h.* Si itaque ante jactum, vel in ipso jactu, naufragium fiat, & navis amittatur, quod quisque ex eo servare potest, sibi servat, tanquam ex incendio, nec amissæ navis merciumue damnum collationis consortio sarcitur *d. l. 5. ff. h. l. 7. eod.* Quia hoc casu ratio contributionis cessat, cum nec navis leuata, nec nostri quicquam isto jactu saluum superfit.

XII.

Sufficit autem præsentis tempestatis periculo navim per jactum liberatam esse, quamvis post, alia tempestate, diverso loco orta, navis pereat; quippe quorum ante res salvæ permanserunt jactu, à contributione non liberantur, si naufragio amissas res per urinatores extraxerint, deductâ tamen mercede urinatoribus soluta. *l. 4. §. 1. h. t.* Semel enim res salvæ propter jactum fuere, ut in portum securè potuissent venire, nisi postea iterum tempestas orta fuisset. Deinde eum in locum salva delata navis, unde facto naufragio, merces rursus extractæ fuere, perinde igitur est, juxta æquitatem naturalem, ac si non perierint. *P. d. Castr. in d. l. 4. §. 1. n. 1. circ. fin.*

XIII.

Requiritur III. Ut necessariò propter tempestatem ortam sint ejectæ *l. 2. pr. §. 2. h.* i. e. ob præsens vitæ ex tempestate discrimen, justumque mortis aut naufragii metum. Cessabit ergo Contributio 1) Si quis sine causâ, vano timore, res suas ejiciat. Quinimò si res alienas projiciat in mare, projiciens in factum actione tenebitur *l. 14. ff. de Præscr. verb.* Similiter 2) cessabit contributio. Si ob culpam magistri, qui navim plus æquo

one-

Generavit, aut perperam merces in foris aut acatio posuit, vel navim non bene stipavit, picavit, aut non satis peritum loci ductorem adhibuit, jactus fieri necesse fuerit. Nam hoc casu magister ejusve exercitor damnum sarcire tenetur. *arg. l. 27. §. 3. ad L. Aquil. l. 30. ff. Locat. Magnif. Dn. Struv. exercit. 20. th. 25. ad h. t. Strach. tract. de naut. & nav. p. 3. num. 13.*

XIV.

Dicta autem cum limitatione intelligenda sunt. Si nempe vectores, quorum merces projectæ, damnum ab exercitore vel magistro navis consequi & recuperare possint. *Petr. Pec. ad l. 2. §. Si quis ex vectoribus. 6. ff. h. & Vinn. ibid. lit. A.* Si verò ab iis suam recuperare non possint, contributio ex æquitate erit facienda, cum hic quoq; omnia æquitatis Legis Rhodiæ fundamenta & requisita adsint.

XV.

Illæ quoque quæ supra in *th. 13.* de necessitate ex tempestate orta dicta sunt, non ad ultimum necessitatis gradum sunt restringenda, quasi non possit fieri jactus, nisi extremum & vix amplius effugiendum adsit periculum, sed res illa prudentium & navigationis peritorum nautarum judicio, & secundum præsens periculum consilio ac suavis est relinquenda, vid. *Vinn. ad Petr. Beck. in l. 2. pr. ff. h. t. l. a. p. 195.*

XVI.

Cum ergo præsens vitæ discrimen & justus mortis ac naufragii metus jactum, navis levandæ gratia factum, justum faciant, & omni jure licitum, sequitur, eum, qui talem jactum etiam rerum alienarum fecit, nullâ actione domino teneri, quia & culpâ & dolo vacat. *l. 14. ff. d. Præscript. verb.*

CAPUT IV.

DE

OBJECTO FORMALI LEGIS
RHODIÆ SIVE DE CONTRIBUTIONE
ET A QVIBUS HÆC, ATQVE QVIBUS
PRÆSTANDA.

Dicitur porro in definitione: **Contributionem omnibus imponens, &c.** Quibus verbis *pars formalis objecti Legis Rhodia* exprimitur, quæ est ipsa *contributio*. Lex enim Rhodia circa res jactas eatenus occupatur, quatenus pro iis contributio est facienda ab iis, qui merces suas salvas retinuerunt. Vox quidem *contributionis* à *Con* & *Tribuo*, quasi *simul cum aliis tribuo*, dicta, quia non ab uno, qui pretiosissimas fortè, vel plurimas salvas retinuit merces, sed ab omnibus in jacturæ pensationem quid tribuendum est. Vocatur Saxonibus inferioribus, ut & Belgis *Avarie* vel *Haverie* à Portu, Teutonibus *Haven*.

XVIII.

Hæc secundum Doctores dividitur in *Communem* & *grandem* sive *grossam*. Ad *communem* refertur 1) Pecunia, quæ datur nautis, locorum peritoribus & vadorum exploratoribus, quæ tamen si excedat summam sex librarum Flandricarum, grandiori avariæ adscribitur. 2) Pecunia quæ solvenda est cum prævehuntur arces sive in fluminibus sive portibus. 3) Quæ solvitur pro navibus è flumine vel portibus educendis. Atque hæc solvuntur communi contributione mercium, pro ratâ pretii earum. Navis autem in hac contributione ratio non habetur. *Avaria grandis* est, cum quarundam mercium jactus fit, levandæ laborantis navis gratia, vel cum armamenta navis, malus, anchoræ &c. communis periculi causa cæduntur & abjiciuntur. Cujus damni sarcienti causa omnes contribuunt, ut navis etiam ratio habeatur. *Dn. Bock §. 3. ad tit. ff. de Lege Rhodia.* Notandum autem in materia legis Rhodiæ avariâ grandem sive grossam locum habere, non verò communem. vid. *Statut. Hanseat. de jur. marit. art. 17. & Hamburg. p. 2. t. 16. §. 47. Leg. Wysbiens 12. 20. 21. 61. Quintin. Weitzen van Avarien cum decis. Curie. Holland. Leida impress. ann. 1617.*

XIX.

Dicitur ulterius. **Omnibus imponens qui res suas**

B

suas

suas salvas ex isto jactu retinuerunt. Quibus verbis significatur *subjectum contributionis activum*, sive *personæ* denotantur, *quæ contribuere debeant*. Et contribuere debent omnes, qui ex isto jactu res suas salvas retinuerunt. Lege enim Rhodia, uti Paulus in *l.1.h.2.* ait, cavetur, ut omnium contributione sarcatur, quod pro omnibus datum est. Et in *l.2. §.2.* Idem ille Paulus, Omnes, inquit, quorum interfuisset jacturam fieri, conferre oportere, quia id tributum res observatæ (vel ut alii legunt, *conservatæ*. Vel ut Gotofredus ad *d.l.2. §.2.* vult, *ob servatas res*) deberent. Ergo & ipse navis Dominus, quia navim suam ex jactu salvam habet, & eapropter ipsius etiam interfuit, jacturam fieri, conferre debet. *§.1.2. §.2.*

XX.

Si quis verò nihil rerum præter cibaria, quæ ad alendum corpus suum pertinent, secum habuerit, nec conferre quicquã debet, quia 1) Quoad vitam & ejus conservationem, ad quam cibaria pertinent, omnium eadem & par ratio est, nec pro ea alter alteri (cum hanc omnes servarint, & quisque pro suâ vel omnium rerum suarum jacturam faciat, nec denique liberi hominis æstimatio sit,) quidquam conferre tenetur. 2) Lex Rhodia ex mercibus salvis compensationem exigit, non autem ad has cibaria referri possunt, quorum conservatio æquè ad conservandam vitam, atque ipsa jactura pertinet. Præter hæc ergo, qui nihil habet, nihil confert, *conf. th.27.*

XXI.

Sed obstare videtur, quod ait Paulus in *l.2. §.2.* Omnes quorum interfuisset jacturam fieri, conferre debere. Ast & horum, qui præter cibaria vel nihil secum habuere, interfuit jacturam fieri. E.& ipsi conferre debent. Verùm quod verba Pauli ad merces & res salvas sint restringenda (quorum nempe interest, non absolute, sed secundum quid, pecuniariè & quoad merces salvas) in ipsa lege proximè subsequenti verba ostendunt, *quia id tributum observatæ res deberent*. Hæc enim neglectâ restrictione, possem de ipsis illis, qui omnium mercium suarum jacturam fecissent, subsumere, & illorum interfuisse jacturam fieri, quia vitam suam servârunt; E.& ipsi contribuere deberent. Quod absurdum. Unde enim, & cui tribuerent? Apparet ergo Paulum limitatè loqui.

XXII.

Quæri adhuc posset: An ergo & illi, qui trajectitias dant pecunias, i.e. fœnori nautico, suo cum periculo, dant pecunias. Aut etiam illi, qui, certò pactò pretiò, periculum navis aut mercium in se recipiunt, quod affecurationem dicunt, ad contributionem faciendam teneantur. Et Resp. Neutrum teneri, Cum nec 1) horum intersit proximè, directè, & principaliter, sed remotè, indirectè, minus principaliter. Nec 2) Quidquam in navi habeant, quod jactu salvum sit, non enim sufficit, ut alicujus simpliciter intersit, sed ut propter vel navim ipsam, quod hæc ipsius sit, vel propter merces quas in navi habuit, ejus intersit, jacturam factam fuisse. Deficit, ergo in horum persona objectum contributionis, adeòque & contributio ipsa.

Subjectum contributionis passivum, sive personæ quibus contribuendum, sunt ii, qui rerum suarum jacturam pro omnibus fecerunt, quod præcedentia verba objectum Legis Rhodiæ materiale significantia, & superius exposita simul notant: **pro rebus quæ ejiciuntur &c.** Ergo illarum dominis compensatio est facienda, & jactura sarcienda. *l. 1. ff. h. Nisi quædam res ejectæ vel omnes postea apparuerint.* Si enim apparuerint, ut si fortè ad littus appulsæ fuerint, exoneratur, diminitur & levior fit collatio, his, qui jactum fecere, facienda. Si jam contributio facta sit, tunc hi, qui solverunt, agent *ex Locato* cum Magistro, ut is *ex conducto* experiatur, & id, quod exegerit, reddat *l. 2. §. pen. ff. h. vel condictio indebiti*, quia factæ solutioni lex hanc conditionem fecit, nisi res postea apparuerint, & revera hæc existente conditione, solutum indebitum esse incipit. Quamvis & *condictio sine causa* locum habere possit, utut enim ab initio non sine causa contributio facta sit, cum tamen postea illa causa cessare, & id quod contributum est, sine causa apud accipientem esse incipiat, hæc conditio locum habet. Cum illa causa ad non causam redeat, ideoque quasi sine causa datum habeatur. *l. 2. ff. d. cond. sin. caus. l. 2. C. de Cond. ex Leg.*

Ex quo apparet res jactas domini manere, nec apprehenden-
tis fieri. l. 2. §. f. l. 3. b. sed furtum potius facere, qui ejusmodi res au-
fert. Videtur ob stare l. 43. §. n. ff. de Furt. in qua Jctus Ulpianus
proponit quaestionem his verbis: *Si jactum ex nave fa-
ctum alius tulerit, an furti teneatur? Quaestio in
eo est, an pro derelicto habitum sit, Et ipse respondet:
Et siquidem dereliquentis animo jactavit, (quod
plerumque credendum est, cum sciat periturum)
qui invenit, suum fecit, nec furti tenetur. Si ve-
rò non hoc animo, sed hoc, ut si salvum fuerit, ha-
beret, ei, qui invenit, auferendum est. Et si qui
invenit, scit hoc, Et animo furandi tenet, furti te-
netur. Enimverò si hoc animo, ut salvum faceret
domino, furti non tenetur: quod si putans sim-
pliciter jactatum, furti similiter non tenetur.*
In hac lege, quamvis satis clarè proposita decidatur quaestio, illud
tamen dubium movet, quasi res jactæ non maneant domini, quod
dicit Ulpianus *plerumq; credendum esse dereliquen-
tis animo jactum fuisse factum.* Ad hoc verò respon-
dent Doctores, restringendo, hæc verba ad ejusmodi res projectas,
quas projiciens novit statim perituras, cujusmodi sunt libri &c.
quæ humorem aquæ diu non servant. *Dn. Hahn.*
in not. ad Wesenb. h. t. n. 5.

CAPUT

CAPUT V.

DE

OBJECTO CONTRIBUTIONIS.

XXV.

Dicitur porro in definitione: Res suas salvas retinuerunt, quibus verbis *objectum contributionis* sive compensationis suggeritur, unde nempe, *ex quibus rebus compensatio sit facienda.* Ut enim Lex Rhodia proximè res jactas contributione sarcindas spectat; Ita ipsa contributio res jactu servatas respicit, quatenus inde jactura est sarcindenda, ut commune clamnum fiat omnium *l. 2. pr. h. t.*

XXVI.

In contributionem ergo omnes res ex jactu salvæ veniunt, contributio enim iniri, nisi salvis rebus, non potest, cum à servatis tantum illa facienda. Quibus perditis, perinde ab obligatione liberantur vectores, atque debitores certæ speciei. *l. 23. ff. de V. O.* Modò res illæ sint æstimabiles; etiamsi navim non multum onerant, ut gemmæ &c. Vestimentorum etiam & annulorum æstimatio, quemadmodum & corporum servorum, qui jactu servati sunt, est facienda *l. 2. §. 2. ff. h. t.* Imò & res deteriores occasione jactus factæ, in contributionem veniunt, deducto deteriorationis clamno, & ejus habitâ ratione *l. 4. §. 2. h. t.*

XXVII.

Non veniunt autem in Contributionem 1) Liberi homines. *l. 2. §. 1. 2. Cum secundum l. 3. ff. Si quadr. paup. fec. dic.* Liberum corpus nullam recipiat existimationem. *Adde l. 1. §. 5. de his qui effud. vel dej. l. 7. ff. eod.* 2) Quæ consumendi causa imposita sunt, quo in numero sunt cibaria. Nam hæc quamvis unius sint, omnium tamen servari interest, quia in commune sunt conferenda, si quando in navigatione defecerint, *l. 2. §. 2. ff. de L. Rhod. de jact.* Juxta vulgatum verbum. Quod inter eos, qui eadem navi vehuntur, tempore necessitatis sit victus communio, ut in obsidione urbis, tempore inedia:

inediæ. Cùm necessitas secundum Ciceron. 3. d. Orat. cogat, quod non habet, aliunde sumere. *conf. th. 20.*

XXVIII.

Circa supradicta autem de cibariis, adhuc notandum, illa non simpliciter à contributione exempta esse, si modò imposita sint, sed requiri specialiter, ut ad cibandum sint imposita. Nam *in d. l. 2. §. 2.* additur expressis verbis: *Si consumendi gratia imposita forent.* Si ergo loco mercium sint, ejusdem quoque cum reliquis mercibus conditionis erunt, & in contributionem venient.

XXIX.

3) Non veniunt in contributionem: Quæ ex navi depressâ vel dejectâ servata sunt. Cum enim depressa navis vel dejecta esset, quod quisque ex eâ suam servavit, sibi servavit, tanquam ex incendio. *l. 7. ff. h. t.* Et ratio Legis Rhodiæ non, nisi navi per jactum servatâ, habetur. *l. 4. in f. pr. d. t.*

XXX.

Ultima verba definitionis hæc sunt: **Ut detrimentum proportionem communicetur,** i. e. damnum jacturæ secundum rerum, quas quisque habuit æstimationem & hujus proportionem, omnium commune fiat. Quibus formalitas objecti contributionis, à fine & modo contribuendi sumta, exprimitur. Eatenus enim res salvæ in contributionem veniunt, quatenus inde jacturæ damnum, non in universum, sed in tantum est sarcendum, ut damnum secundum rerum æstimationem & proportionem, commune fiat omnium; Nempe tam illorum, qui res suas ejecerunt, quam qui suas retinuerunt, & quidem secundum proportionem rerum cujusquæ tam deperditarum jactu, quam servatarum.

CAPUT VI.

DE

MODO CONTRIBUENDI.

XXXI.





Væ ut exactius intelligantur, & facilis fiat contribuendi modus (quem exemplis quidem confuse, nullo verò præscripto procedendi ordine, perfecte & consummate declaratum inveni) quinque, quibus omnis hæc in re difficultas & confusio expediri potest, constitui possunt regulæ, sive procedendi gradus, qui tamen ad pauciores contrahi possunt, uti ex secundi exempli resolutione patebit.

XXXII.

1) Rerum quas quisque sive jactu amisit, sive salvas retinuit, sive deteriores ex jactu habet, (Et ipsius navis, si ob rerum conservationem aut jactum damnum passa fuerit) fit una æstimatio, sive unius summæ æstimatio, ita ut quot sunt domini rerum, inter quos contributio est instituenda, tot æstimationum summæ fiant.

XXXIII.

Æstimatio autem illa fit diversimodè, in rebus nempe amissis ad pretium quo emtæ sunt, si nempe tanti aut pluris venire poterant. Ratio est. Quoniam detrimenti non lucri fit præstatio. *l. 2. §. 4. h. t.* Quod si verò pluris emtæ fuerint, quàm venire rursus potuissent, minus pretium, nempe quò vendi potuissent, spectatur. Ratio; Quia hoc damnum quatenus minoris vendi debuissent, etiam, utut nulla facta fuisset jactura, dominus habiturus fuisset, adeoque propriè ex jactu aut propter jactum non contigit, at tale damnum contributione non compensatur. *arg. l. 1. h. t.*

XXXIV.

In rebus propter jactum servatis æstimatio fit, secundum pretium, quò vendi potuissent, *d. l. 2. §. 4.* Quamvis enim majoris emtæ fuerint, id tamen non spectatur, quia quod inde damnum est, jactui imputari non potest, adeoque



eoque nec contributione sarcitur, Quid ergo si longè minoris emtæ sint, multò majoris vendi queant? Resp. Tamen pretium, quo vendi possunt, in rebus servatis spectatur. Ratio est, quia tantum revera ex jactu, & propter jactum saluum habetur. Ergo & ratione ejus quisque contribuere debet.

XXXV.

In rebus verò deterioratis propter jactum ratio æstimationis ita ineunda est, ut inspiciatur & pretium quo emtæ sunt, & quo vendi adhuc possunt: & quantò minus preuū dominus vendendo habiturus est eò pretio, quo res deterioratas emit, tanti deterioratio æstimabitur, v.g. Pannos 100. emisssem, deterioratos non nisi 60. vendere possum. Hoc casu deterioratio 40. æstimatur. Quod si ergo deterioratos adhuc 100. aut pluris vendere queam, nulla censetur deterioratio facta. Omnium ergò rerum & deterioratarum & servatarum cujusque domini, secundum æstimationem una facienda est summa.

XXXVI.

2) Æstimationum quantitas sive proportio summarum quærenda est, quod fit, si distantia summarum, minimâ quantitate, sive minimo numero exprimatur. E. G. Mævii mercium jactarum & servatarum æstimatio, sive summa una, esset 1000. Caji esset 1500. Sempronii 2500. Proportio harum in minori quantitate secundum

distantiam unius summæ ab altera hæc est.

| | | | | | |
|--|----|--|----|-------|-------------|
| | 10 | | 00 | | |
| | 15 | | 00 | -- 10 | -- 15 -- 25 |
| | 25 | | 00 | | |

Sed minor adhuc erui potest, si singulæ hæc minores quantitates cõmuni divisore ulterius minuantur, nempe per quinque, quæ ex decem bis, ex quindecim ter, ex 25. quinquies, ita ut nihil remaneat, sub-



subduci possunt, quomodo minoris adhuc quantitatis proportio eadem redibit, nempe 2 - 3 - 5 - qui numeri cum divisore communi destituantur, secundum proportionem eandem imminui porro nequeunt. Quemadmodum ergo secundum proportionem ad invicem se habent --2 -3 -5. Item --10 -15 -25. Ita se mutuò majores habent summae (unde nempe per communem divisorem minor ille eductus est numerus) 1000 --1500 --2500. Brevissimè progredieris, si communi divisore maximo, summas singulas divides. Si enim unâ vice minimas proportionis quantitates habebis, v. g. quoad præsentis summas, communis divisor maximus, sunt 500. Quibus si divides 1000. evenient 2. Si eodem divisore divides 1500. evenient 3. Si porro eodem divisore tertiam summam 2500 divides, 5. prodibunt, quæ proportionem dictam minimam efficient --2 --3 --5.

XXXVII.

3) Res omnes omnium dominorum quæ & quatenus salvæ sunt, in unam quasi massam conferendæ, & ad unam summam æstimandæ sunt, habitâ nempe ratione pretii, quò vendi possunt, V. gr. Mævio salva essent 300. Cajo 200. Sempronio 400. Quæ in unam massam redacta efficiunt summam.

| | |
|-----|----------|
| 300 | Mæv. |
| 200 | Caj. |
| 400 | Sempron. |

900

XXXVIII.

4) Ex universa rerum salvarum summâ juxta quæsitam proportionem omnium mercium, cuique Domino attribuenda est portio, quam secundum æquitatem Legis Rhodiæ sal-

C

vam



vam habere debet. Hæc autem attributio hoc modo fieri potest : junges numeros proportionis inventæ V. gr. in adducto exemplo -- 2 -- 3 -- 5, eorumque summam educes

$$\left. \begin{array}{r} 2 \\ 3 \\ 5 \\ \hline 10. \end{array} \right\}$$

hâc proportionum summâ divides summam unîversarum rerum

salvarum, nempe $\frac{900}{1000} \left| \begin{array}{l} 900 \\ 1000 \\ 1000 \end{array} \right. 90. \text{Hæc ex divisione hâc resultans}$

quota nempe 90. cum primo proportionum numero (2) multiplicata, efficiet portionem Mævio debitam. Cum altero proportionum numero (3) multiplicata, convenientem Cajo assignabit, portionem. Cum tertio proportionum numero (5) multiplicata, suam Sempronio dabit portionem, quæ juxta æquitatem Legis Rhodiæ ei salva esse debet:

$$\begin{array}{r} 90 \\ \hline 2 \\ \hline 180. \text{ portio Mævii.} \end{array} \quad \begin{array}{r} 90 \\ \hline 3 \\ \hline 270. \text{ portio Caji.} \end{array} \quad \begin{array}{r} 90 \\ \hline 5 \\ \hline 450. \text{ portio Sempronii.} \end{array}$$

XXXIX.

5) Quod cuique ultra debitam portionem in æstimatione rerum suarum jactu servatarum superest, id contribuendum cæteris, qui debitam portionem in rebus suis servatis salvam non habent, ad ejus usque suppletionem, v. gr. Mævius cujus debita portio est 180. in rebus suis salva habet 300. Cum ergo eidem ultra debitam portionem supersint 120. ideo hæc Cajo & Sempronio contribuere debet, quibus tot secundum debitam portionem in rebus servatis deficiunt. Caju enim salva habere

habere debebat 270. Ast 200. tantum salva habet, deficiunt ergo eidem 70. Sempronius quoque salva habere debebat 450. Ast salva tantum habet 400. deficiunt ergo eidem 50. Quæ cum 70. illis, quæ Cajo deficiunt, summam illam quæ Mævio supererat, nempe 120. complent.

XL.

Perfectissimus hic procedendi modus est, quo quantum quisque contribuere, quantum cuique contribuendum, sine ullâ difficultate cognosci potest. Ut autem primò intuentibus modus ille magis appareat, duo alia subjungam exempla. Primum hoc erit. Sunt *Titius, Cassius & Sejus*. *Titii* ejectæ res æstimantur 1000. Deteriorationes earum quas retinuit æstimantur 500. Res ipsæ, quas & quatenus salvas retinuit, æstimantur 100. Summa harum rerum una est 2500. *Cassii* res jactæ sunt 1000. Salvæ 500. Deterioratum nihil est. Summa illarum una est 1500. *Seji* res jactæ nullæ sunt, deterioratio verò æstimatur 200. quod & quatenus salvum est, æstimatur 300. Summa mercium harum una est 500.

Una jam æstimationum omnium rerum in singulis personis observanda est summa, quæ quidem in persona Titii est 2500. imperialium. In persona Cassii 1500. In persona Seji 500. Porro æstimationum attendenda quantitates, sive proportio summarum ad invicem, quæ est in persona Titii 5. In persona Cassii 3. In persona Seji 1. Cassius enim ter tantum in navi habuit, quantum Sejus. Et Titius quinquies tantum. Sejus nempe semel quingentos habuit (500) Cassius ter quingentos (1500) Mævius quinquies quingentos (2500).

Secundum hanc proportionem, æstimatio universorum bonorum, quæ in navi salva sunt, dividitur, & cuique sua portio assignatur. Ultra quam si cui in rebus salvis quid supersit, id

C e

con-

contribuitur ei, cui ob res jactas perditasve ob
jactum, in tributâ portione deficit, donec hæc sup-
pleatur.

Universa rerum servatarum summa est 1800. Titius
nempe 1000. Cassius 500. Sejus 300. salva habet, quæ efficiunt sum-
mam 1800. Hæc secundum proportionem dictam universorum
bonorum si dividantur, Sejo salva esse debebunt 200. Cassio ter tan-
tum. i.e. 600. & Titio quinquies ducenta i.e. 1000. Quoniam au-
tem Mevio sua portio, nempe 1000, & non amplius salva sunt, ei
nec quicquam contribuetur, nec quicquam ipse contribuet, Sejo
autem cum ultra debitam portionem, nempe ultra ducentos, quos
salvos habere debet, centum supersint, (quippe trecentos actu in
rebus servatis salvos habet) centum illos Cajo, cui centum in de-
bita portione deficiunt, contribuere debet.

XLI.

Alterum exemplum esto:

1) Summa mercium singulorum Dominorum.

Cajus secundum mercium omnium æstimationem summam in
navi habuit 1000. Sempronius 2000. Mevius 3000. Navis fuit 4000.

2) Summarum proportio.

Proportio harum summarum $\left\{ \begin{array}{l} 1000 \\ 2000 \\ 3000 \\ 4000 \end{array} \right\}$ habet $\left\{ \begin{array}{l} 1 \\ 2 \\ 3 \\ 4 \end{array} \right\}$ seu $1-2-3-4$

3) Summa una rerum omnium salvarum
facienda.

Summa rerum salvarum ex jactu est 7700. Nam Cajo salva sunt
800. Sempronio 1600. Mevio 3000. Nauta navis salva est, quæ
tamen ob casus arbores & alia, propter jactum rupta, est deteriora-
ta, ut saltem 3000 æstimetur. Hæ junctæ quantitates summam
dictam efficiunt, 7700.

4) Sum-



4) Summa illa juxta precedentem proportionem dividenda, & cuique portio assignanda.

Quæ summa dividenda est, secundum dictam, secundo loco, proportionem, & cuique debita assignanda est portio. Nempe proportionum numeros in unam summam, redigis, addendo, numerorum multitudines

| |
|-----|
| 1 |
| 2 |
| 3 |
| 4 |
| 10. |

--- & habebis 10. quæ divisorem facient,

quò summam rerum salvarum erit dividenda, hoc modo $\left\{ \begin{array}{l} 7700 \\ 10000 \\ 11 \end{array} \right\} 7700$

& habebis primi *Caji* portionem nempe 770. Quoniam autem *Sempronii* numerus proportionis erat binarius, ei duas tales assignabis portiones; *Mevio*, cujus numerus proportionis ternarius erat, tres dabis. *Nauta* quatuor tribues portiones.

Habebit ergo *Cajus* 770.

| | |
|-------|-----------------------|
| <hr/> | |
| 770 | |
| 2 | numerus proportionis. |

| | |
|------------------------|-----------------------|
| <i>Sempronius</i> 1540 | |
| <hr/> | |
| 770 | |
| 3 | numerus proportionis. |

| | |
|--------------------|-----------------------|
| <i>Mevius</i> 2310 | |
| <hr/> | |
| 770 | |
| 4 | numerus proportionis. |

| | |
|--------------------|--|
| <i>Nauta</i> 3080. | |
|--------------------|--|

C 3

5) Cui



5) Cui ultra convenientem portionem quid superest, is contribuere debet, & quidem tantum quantum superest. Cui verò quid deficit, ei tantum quantum in debita portione ei deficit, ab iis quibus superest, contribui debet.

Jam collata cujusque summa, quæ eidem salva est, cum debita portione, patebit, quis, cui, & quantum contribuere debeat.

| Portio cuique debita. | Portio cujusque salva. |
|-----------------------|--|
| Cajo . . . 770. . . | 100. Deficiunt ergo, donec debita portio suppleatur 670. |
| Sempr. . . 1540. . . | 1600. Superfunt ergo, ultra debitam sum. 60. |
| Mev. . . 2310. . . | 3000. Superfunt ultra debitam summam 690. |
| Naut. . . 3080. . . | 3000. Deficiunt ad debitam usque portionem suppleendam 80. |

Nempe Sempronius 60. Mevius 690. contribuit, quia tantum his ultra debitam portionem superest. Fit autem illa contributio Cajo & Nauta, quibus tantum deficit. Nauta nempe 80. Cajo 670.

XLII.

Hoc facillimo ad dictum ordinem contribuendi modo servato, per se justa damni ex jacturâ, secundum proportionis æquitatem sequetur communicatio, sive participatio, quæ finis est contributionis, & Legis nostræ Rhodiæ fundamentum. l. 2. pr. h. Communi enim damno communia sunt avertenda pericula, & quod pro omnibus datum est, omnium contributione est sarcendum. l. ff. h. t.

CAPUT

CAPUT VII.
DE
EXTENSIONE LEGIS
RHODIÆ.

XLIII.



X hoc æquitatis fundamento, varia Legis Rhodiæ fit
extensio, & ad similia processus. *l. 12. 13. ff. de L. L.*
Quam extensionem & ipse Paulus *in l. 2. §. 3. h. t.*
observat, ubi æquitatem Legis Rhodiæ ad casum
redemptæ à piratis navis transfert, ita ut propter damna redemptio-
nis omnes conferre teneantur, quia redemptione ista tota navis &
omnes salvæ sunt merces. Cessabit ergo contributio, nec extensio
Legis Rhodiæ locum habebit, si quid prædones abstulerint, aut si
suas merces quis redemerit. *d. l. 2. §. 3.* quia hoc damnum non
pro omnibus est datum, adeoque fundamentum Legis Rhodiæ
cessat, ob quod extensio fieri debebat. Quid autem dicendum, si
prædoni volenti prædari, merces quædam traditæ sint, ut à de-
prædatione abstineat? Et respondendum erit, quoniam ex immi-
nente deprædatione, commune erat omnibus rerum suarum pe-
riculum, id quod datum est, pro omnibus datum videri, adeoque
omnium contributione esse sarcendum. *argum. d. l. 2. §. 3. & l. 1.
ff. h. t.*

XLIV.

Hæc contributionis ratio, & inter socios ejusdem civitatis
sive universitatis, sive collegii, locum habet, quorum, ad avertenda
communia pericula, aut communia sustinenda onera, alii nihil aut
minus collectarum, alii plus aut soli solverunt, quippe hi jactu
suarum fortunarum universitatem tanquam navim conservarunt,
& communi saluti prospexerunt. Iis ergo à cæteris, de eo quod
solvere debebant, nec solverunt, est contribuendum, ut secundum
proportionem bonorum collectarum damnum seu onus ab omni-
bus

bus æqualiter sustineatur, quamvis & his, qui ex censitione inæquali damnum sustinuerunt, ex *l. 5. C. de Cens. & l. 10. C. de fund. patrim.* succurratur, implorato iudicis intra annum officio.

XLV.

Similiter ad incendii casum contribuendi æquitatem Dd. referunt, si nempe flammæ vis tanta fuit, ut vento agitata totam correptura sit viciniam, nisi proximis intercisis domibus intercapedo fiat junctarum ædium. Tum enim quorum sunt servatæ ædes, dirutarum damnum sarcire debent.

XLVI.

Præterea ad hunc quoque casum Lex Rhodia extenditur. Si prædium alicujus civis pro salute civitatis dirutum sit. v.g. In suburbiis ne hostibus receptui sit. Et quamvis quidam negent, hocce damnum domino esse resarciendum, verior tamen & æquior est sententia affirmantium. Patitur enim hocce damnum pro salute civitatis, ut illa à summo, in quo constituta est, periculo liberetur. Ab omnibus itaque civibus pro virili contribuendum, ut hoc modo damnum, quod domino ædium per earum destructionem, pro omnium salute, & bono totius civitatis, datum est, resarciatur. Addunt alii limitationem, & sic in illo casu contributionem locum non habere statuunt, si ille dominus ædificasset, ubi ædificare non debuisset; Cessare porrò contributionem asserunt, si civitas nihilominus expugnata sit. *arg. l. 2. §. 2.* Aliter autem sese habere, si conditionibus dedita sit.

XLVII.

Et sic de similibus, quoties nempe unus vel pauci damnum vel unus commune soli sustinent, vel soli nomine omnium, sive pro salute & utilitate omnium jacturam patiuntur, & quid exsolvunt, similiter est judicandum.

CAPUT

CAPUT VIII.

DE

ACTIONE AD CONTRI-
BUENDUM.

XLVIII.



Eliquum est, ut de actione, quâ ad contribuendum
 agere, & nolentes compellere possumus, subjiciam.
 Singularis autem ex hac lege Rhodiâ non datur, quam-
 vis ex illâ ad contribuendum obligemur, obligatio
 autem sit juris vinculum, quo necessitate, i. e. actione & remedio
 juris civilis, astringimur. Doctores ergo aliunde quæ & quatenus
 conveniunt, huc trahunt actionum remedia: quod idem & Paulum
in l. 2. h. t. fecisse videmus, qui *locati & conducti actionem* huc ac-
 commodat, interveniente personâ nautæ sive magistri navis, quem
 amissarum mercium domini, si merces suas vehendas ei
 locaverint, *ex locato* convenire debeant, ut is cæterorum
 vectorum merces vel retineat, vel cum iisdem *ex conducto*
 agat, ut detrimentum proportionem communicetur. Si verò ve-
 ctiores, partes quisque navis conduxerint, adversus
 magistrum *ex conducto* agant, & is deinceps cum cæteris vecto-
 ribus *ex locato* ad contribuendum experiatur. Quod si incer-
 tum sit, utrum dominus mercium jactarum na-
 vim conduxerit, an merces vehendas locaverit,
civilem actionem in factum esse dandam, Labeo scribit,
 teste Paulo *in l. 1. §. 1. ff. de Præscr. Verb.* Si totam navim con-
 duxerint mercium Domini, & contributionem & actionem

D

(ex

(ex jure quidem nostro competentem, sic enim intelligo auctorem,) Dn. Eckolt *ad tit. de Leg. Rhod. §. 3.* denegat.

XLIX.

Ex quibus omnibus uti clarum est, quàm, deficiente propriâ ad contribuendum actione, antiqui etiâ Jcti convenientes accommodare actiones laborârunt; Ita illa quidem, quæ de *locatione & conductione* refert Paulus in causâ quidem jactus & faciendæ contributionis, cum regulis *locationis & conductionis*, & hinc natâ obligatione inter magistrum navis & dominos mercium vix congruere videntur. Quid enim insperata tempestas, quid jactus, necessitate pro avertendo vitæ periculo factus? Quid aliorum contribuendi debitum, ad contractum locati & conducti, aut ad obligationem inter dominos mercium & navis magistrum pertinet? An hic ob casum fortuitum tempestatis & factæ jacturæ, an ob debitum contribuendi alienum, ex locato tenebitur? Nonne præstitit ex locato, quod debuit, dum vexit, quemadmodum debuit, nec culpæ quidquam admisit? Et cur magistro navis ex conducto tenebuntur, qui non ipsi sed alii obligantur? Qui præter mercedem ex conducto nil debent? Et denique, si pro consequendâ contributione à tertiis, cum nautâ, tanquam intermediâ personâ, agendum erit ex locato, cum quo ipse nauta, si ei contribuendum sit, aget? Aut si ipse nauta contribuere debeat, quâ tum agendum erit actione, cum locati actione non immediate, sed mediante & personâ aliâ, & actione conducti, demum contributionem à tertio consequamur. Quod Labeonis præscriptis verbis sive civilem in factum actionem attinet, cum illa non, nisi ex contractu innominato, detur. *l. 3. ff. de Præscr. verb.* Et verò talis contractus ad contribuendum, nullus intercesserit, hanc quoque actionem convenire meritò dubitare possumus. Quæ omnia & plura alia, ab isto actionum *locati & conducti* circuitu in diversam sententiam abripere possent, nisi hæc ita se habere ideo credere cogermur, quia ita scripta sunt, quia ita jus esse iusta. *l. 2. pr. & §. 2. h. t. d. l. 1. §. 1. ff. de Præscr. Verb.*

L.

Doctores tamen nostros ob dictas difficultates, alias quæsisse credo actiones, & huic legi accommodare elaborasse, quales sunt,
Actio

Actio mandati, si nempe domini servatarum mercium mandarint dominis rerum jactu amissarum, jactum facere, & sic voluntate reliquorum res jactæ sint, vel scientes pro suis quoque conservandis patiantur, ut res suas cateri ejiciant. Item *Actio negotiorum gestorum* contra absentem, si Dominus ipse res suas abjiciat, ut res simul absentis servet. Nec quò minùs has, magis rei convenientes, actiones admittamus, quicquam, quæ ab aliis objiciuntur, obstare possunt leges; Nempe *l. 2. pr. ff. h. & l. 14. ff. de Præscr. Verb.* Quippe *Lex 2. ff. h.* ponit actionem, ex sententia Pauli, non excludit alias, nec meliores inveniendi, cum propria deficiat, viam aliis præcludit Doctoribus. Neque *d. l. 14.* huc quadrat. Cum de contributione & ejus necessitate, atque exigendi ratione, de quâ hic sola quæstio est, nihil quicquam in illa lege agatur, sed solum de *in factum & de dolo actione*, quâ ipse ejiciens, qui vel sine causâ, vel dolo ejicendo damnum dedit, tenetur. Illæ ergo actiones aut si quæsimiles, quibus damna data vindicamus *in d. l. 14.* competere negantur, si necessitate, mercium suarum servandarum causâ, ejecerit, sine culpâ & dolo. Eo enim casu alteri compensationis æquitate ex *Lege Rhodiâ* succurritur, per convenientes nempe actiones, quæ in *hâc l. 14.* non denegantur, sed tacitè præsupponuntur & asseruntur.

Poste denique supra denegatâ contributione, *officium judicis* nobile implorari, nullus dubito, illudque tanquam generale remedium huc quoque accommodari posse, nihil impedit. Quinimò *condictitiam actionem*, ex *L. Rhodiâ* institui posse, speciali deficiente actione, argumento nobis esse posset *L. un. ff. de Cond. ex Lege.* Sed cum de eâ nil dixerint Doctores, nec de eâ ego quid dicam, aut statuum. Tantum de Actione. Possem paucis affine

JUS APPULSUS hîc considerare, sed singulari, hoc

de Jure, Bono cum Deo, disputatione

agam.



D 2 Sit

Sic



Sit felix labor hic! KETTLERE,
deinde sequentur
Præmia pro meritis. alea jacta bene est!

*Nobiliss. Dn. Kettler, Paterni nominis amulo,
Auditori suo perindustrio, Amico item &
Convictori perquam dilecto, egregium e-
ruditionis documentum Imq; gratulatur*

PRÆSES.

JOHANNES DIETERICUS KETTLERUS.

per Anagramma

EN! ERIS HIC STUDIO ET ARTE LUCENS!

Epigramma

Hocce tuum spectes Majorum sidere lucens

Nomen, & haut spernas Nominis Augurium.

EN ERIS HIC STUDIO LUCENS, ait ET simul

ARTE:

ARS studium sequitur; sed prius est **STUDIUM.**

Nam prius in **STUDIO** multas consumere noctes

Te decet insomnes; semen & **ARTIS** erunt.

ARTE olim, *laudis* poteris accendere **LUCEM**

Et Clarus Clari filius esse Patris.

Sic

Sic bene convenient *Versum* cum Nomine *Nomen*:
ET STUDIO LUCENS, LUX simul ARTIS
ERIS.

Jam quoque conscendens Cathedram, sis *Luminis*
Omen,

Et præstes foelix *Nominis Augurium*.

*Sic Nobiliss. Domini Respondentis Amici Contubernalis
suavissimi, publicè lucentibus conatibus
applaudere gratulanti calamo,*

voluit

Joachimus *Hämpffer* /

L. VV.

So schwingt sich schon / mein Freund / mit noch fast zart
ten Flügeln /

Dein Jugendvoller Sinn / auff nach den Lorber-Hügeln /

Raum hast du ist erlebt das zweymahl neundte Jahr /

Und deiner Jugend Blüth reicht schon die Früchte dar.

Was dein Justinian / in seinen Büchern setzt /

Woran die Weisheit sich der Rechtsgelahrten lezet /

Ist alles deine Lust ! Mich wunderts / sehich an /

Wie voll bezeichnet sind / dein Eckel und Schotan.

Nun zeigst du öffentlich / wie viel das stete sitzen /

Der unverdrohne Fleiß / und Müh / und Arbeit nützen ;

In dem du auff den Stuel der Jahnischen Musen steigst /

Und zum gelahrten Streit dich frey und munter zeigst.

Ich wünsche Glück darzu / und daß in deinem
Leben /

Dein Jung-geübtes Haupt / bald mag mit Blus
men glänzen /

D 3

Die

Die selbst Apollo hat mit Lorbern durchgesezt/
So wird dein früher Fleiß mit frühem Ruhm
ergezt.

Sezte seinem vielwerthestem und vertrautem
Freunde und Landesman / glückwünschend
Henrich von Rehden,

DApffre Tugend vor sich pflegt / und auch hinter sich zu sehen/
Siehet hinter sich auff die / denen Sie zuvor will gehen:
Und die weit noch vor Ihr seynd / sieht Sie mutig vor Sich an/
Das Sie jenen nur zuvor / diesen bald nach-kommen kan.
Du bist vielen schon zuvor / die dir gleich an Alter waren.
Und nun eilstu denen nach / die weit mehr wie du erfahren.
Fährstu so nur weiter fort / wirstu wie es giebt der Schein /
Nach des Großen Vaters Todt / noch der andre KETTLER
seyn.

Siehe ferner / treuster Freund / vor und hinter dich beglücket/
Lauff der Tugend tapffer nach / biß der / der die Tugend schmückt/
Der mit Lorber-Laub bekrönt / was die kluge Feder schreibt /
Dich auch deines Vaters Ruhm / gleich beglückt / einverleibt.

Also hat seinen Vielgeehrten / Brüderlichen / Ohngefährten
und vertrautesten Freunde / und Landesman glück-
wünschend bedienen wollen und sollen

Alrich von Rehden

Non tibi deficiet, per pulchrum nectis in or-
bem

Jus KETTLERE tibi, non tibi deficiet.

Non

Non tibi deficiet nexus, si ne ctere pergas,
Gloria de studiis non tibi deficiet.

Sic Nobiliss. Doctissimoque Domino Authori, con-
terraneo, ac amico suavissimo cathedram, felici-
ter conscendenti applaudere voluit

Ludolph Jelten,
Hagâ Frisius.

Jactum dum monstras, monstras quoq; in æde Va-
rarum, KETTLERE, te jacuisse Deæ. (cunæ
Gratulor hunc *jactum*, jactans feliciter, ictus
Adversæ partis, ne *jaceas*, abigas.

*Hisce Nobilissimo Dno Autori Respondenti, Fautori, Amico
ac conterraneo honoratissimo animitus gratulatur*

Martinus Flesner.

Hic tandem solertis honos, hoc mu-
nere laudis
Ornat Cultores alma Minerva suos
Te KETTLERE puto, tibi cedent
omnia, porro
Regula si pietas sedulitatis erit.

*Paucis hisce Nobilissimo politissimoq; Dno Autori Respondenti,
magni Parentis filio amulo, Conterraneo, Fautori ac ami-
co suo estimatissimo, de egregio hoc eruditionis specimine
gratulari voluit, debuit*

Johannes Hugo Hefs.

Quid KETTLERE loquar, Cultor
sincere Minervæ,
Dum peragis Genii munera rara
Tui?

Dicam: Hoc specimen fructus comi-
tentur honores
Et laudes meritæ, Gratulor ex animo!

Exiguis hisce lineolis

*Nobiliss. & Doctiss. Dno Autori, Respondenti, Popu-
lari, ac Amico suo charissimo de specimine Academi-
co gratulari voluit*

Johann: V Vilhelm Hemken,
Marjenhova Frisius.




ULB Halle
003 336 565

3



VD77





B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

P. A. G. N. 12. 27
P. 23. num. 32.

RHODIA

DE

CTU,

17

sub Praesidio *16. 19. 15*

VIRI

Sci & Excellentissimi

ALAI CHRISTOPHORI

NCKERI,

is celeberrimi, Serenissimo

Consilarii splendidissimi, Facultatis

ut & Curiae Provincialis ac Sca-

Assessoris gravissimi,

i, Praeceptoris ac Hospitis sui

atorem devenerandi,

exposita

lico Examine subiecta

A

ETERICO KETTLER,

DA-OSTERISIO

Core & Respondente.

Julii. Anno M. DC. LXXIX.

JENÆ,

Samuel Adolph. Müllerus.

4

